

CARMINA EX LIBRO „PONTES LUCENTES“

I) FOLIIS ET AMICIS

Ventus, spissa ferens foliorum agmina, canit
carmina crocea sole cadente in nubes opacas.
Vesper adest, amici! Ubi estis suo cum risu?
Tantum venti susurrus volat ex comis fagorum
in cor pallidus cadit ut facies olim serena
cari amici iacentis tristi Mortis in sinu.

II) MANE RECANATI

(s. poetae L. Cipolloni)

Aliquis arundine amoena
mane excitatur
in colle
 prima luce involuto
pinus rore plenas
Palma solis mulcet humiles olivas
Abeuntes omnes Nymphae
tantum aurea reliquerunt vela
dum argentea voce cunctae
in valle mox canent lymphae
Attonitus cantu
 consisto laetus in corde
maestam videns maestitiam
amici Leopardi
in immensitatem lucis naufragantem.

(Recanati, 1961).

III) TOTA PULCHRA

Ecce praecedit
 candida virgo
flori recenti
 similis illa
veris nascentis
 abditā pandit
Carmine tota vicinia exultat
sole oriente
In manibus puellae viridis
ramus olivae
Oculi eius columbarum volatus per aerem
En splendens ut nuntia veris
calcat per viam
 pulchrior vere
 amoenior sole.

Zagreb.

T. Smerdel.